



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Dissimulator ingenii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** spectatum. Nam Prusæ regis filius unum tantum os habuit dentium loco, obque id Nonodos appellatus. Ita & Pyrrhus rex Epirotarum. Porphyrius eo commentario, quod de abstinento ab esu carniū conscripsit, ab indis ait Hyænam hanc Crocutam vocitari: sed Crocutam autores diversam ab Hyæna ponunt. Reliquum est de antipathia quæ intercedit Hyæna cum Panthera, dicere, qualeque inde factum sit hieroglyphicum: quocirca & hoc, & alia ejus significata memorabimus.

DE PANTHERA.  
SPECIOR ATQUE VALIDIOR A DETERIORE SUPERATUS.

## CAP. XXVII.

**Q**uam tetrum animal Hyæna sit, quamque aspectu fœdum, ex iis, quæ superius allata sunt, constare unicuique potest. Longe vero diversa est Panthera, qua nulla pene fera est villorum varietate speciosior, vehementior nulla, nulla impetuosior: vis tamen occulta quædam Hyæna Pantheram exuperat. Quare cum sacerdotes Ægyptii superatum ab inferioribus, vel à deterioribus hominem intelligi vellent, duo tergora, Panthera unum, Hyæna alterum commitebant, assuebantque: si quidem compertum est, tanta inter se repugnantia ea dissentire, ut si simul assuantur, vel etiam contraria suspendantur, Panthera pili decidant, Hyæna vero nullo detrimento afficiantur, quæ quidem tanto esse Pantheris metu dicitur, ut occupata ab ea, tanta animi consternatione respondeant, ut ne resistere quidem conentur. Hinc autem commentum putarim, pilos cujuscumque generis & inutiles, maxime palpebras, auferri medicamento quodam ex Hyæna corde in cinerem concremato, & cerebro ejus illito. Præstant hoc etiam, quod Hyæna tergora in Panthera pilos efficit, Aquilarum penna, quæ admixtas reliquarum alitum pennas devorant.

*Panthera  
& Hyæna  
antipathia.*

*Plin. lib. 8.  
cap. 3.*

## IMPROBITAS. CAP. XXVIII.

**I**nsatiabilem autem hominem & omnium appetitorem, per Pantheram significari ea de causa fertur, quod nullum non animal ea venatur, unde illi nomen: nam Panthera Græcum omnino vocabulum agnoscit Varro, quod ab omnifaria feritate, adde etiam venatione, deducitur, sive quod omnium pene ferarum coloribus variegata spectetur: nam & hæc atque Tigres maxime omnium animalium varietate insignes perhibentur. Sane inter Pantheras, Pardalinæ feminam, Pardum marem plerique agnoscunt. Aristophanes hujus non immemor improbitatis, Pardali notam inurit impudentiæ, cum neque ignem neque Pardalinæque impudentes ait atque femina est: quippe quæ omnia corripit atque consumat.

*Panthera  
cur sic di-  
cta.*

## DISSIMULATOR INGENII. CAP. XXIX.

**P**ræterea hominem Ægyptii suorum vitiorum dissimulatorem, quique pravum, quo præditus esset, ingenium ita occultaret, ne vel à domesticis deprehendi posset. Panthera simulacro notabant. Ferunt enim ejus odore mire sollicitari quadrupedes, sed capitis torvitate terri: quod ipsa docente natura fati intelligens, occultato eo, ac odoris tantum facta copia invitatus corripit: atque hæc est ejus in venando solertia: quamvis Plinius animalium nullum odoratum putat, nisi credamus, ait, de Pantheris quicquid dictum est. Sentiunt tamen cum Ægyptiis Aristoteles & Plutarchus, qui plurima dicunt animalia magno studio Pantheram secari odore ejus delectata: quod, nisi Plinius odorem pro suavolentia capiat, non nihil admirationis afferre potest, cum ferarum & omnium dubio procul animalium odor quotidiana mortalium experientia canibus innotescat. Quam Equi odore tantum Cameli percepto, in fugam verti perhibentur. Recitata est loco suo historia, quemadmodum Cyrus adversus numerosissimum Cræsi equitatum dimicaturus, Camelos contra instruxerit, quorum odore consternati Equi, fugam ruptis ordinibus corripuerint. Cræsi conatum ita frustrati.

## EBRIOSITAS. CAP. XXX.

**Q**uod autem odore usque adeo intensa Panthera possit, eam Philosophi causam arbitrantur, quod maxima prædita sit caliditate, indeque odorem illum excitari: cumque ita cum vino confensum